

Leistungskurs Bayern 1981

Christliche Kritik am Polytheismus

(Laktanz, *de ira Dei*, 11,7-13)

Im folgenden Text versucht der christliche Schriftsteller Laktanz, den Glauben an viele Götter zu widerlegen, und stellt ihm seine Gottesvorstellung entgegen.

Unde igitur ad homines opinio multorum deorum persuasiove pervenit? Nimirum ii omnes, qui coluntur ut dii, homines fuerunt et idem primi ac maximi reges, sed eos aut ob virtutem, qua profuerant hominum generi, divinis honoribus adfectos esse post mortem aut ob beneficia et inventa, quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam consecutos quis ignorat? Nec tantum mares, sed et feminas. Quod cum vetustissimi Graeciae scriptores, quos illi theologos nuncupant, tum etiam Romani Graecos secuti et imitati docent: quorum praecipue Euhemerus (1) ac noster Ennius, qui eorum omnium natales, coniugia, progenies, imperia, res gestas, obitus, sepulcra demonstrant. Et secutus eos Tullius tertio de natura deorum libro dissolvit publicas religiones, sed tamen veram, quam ignorabat, nec ipse nec alius quisquam potuit inducere. Adeo et ipse testatus est falsum quidem apparere, veritatem tamen latere. „Utinam“, inquit, „tam facile vera invenire possem quam falsa convincere!“ Quod quidem non dissimulanter (2) ut Academici, sed vere atque ex animi sententia proclamavit, quia veritas humanis sensibus erui numquam potest; quod adsequi valuit humana providentia (3), id adsecutus est, ut falsa detegeret. Quidquid est enim fictum et commentitium, quia nulla ratione subnixum est, facile dissolvitur.

Unus est igitur princeps et origo rerum deus, sicut Plato in Timaeo (4) et sensit et docuit: cuius maestatem tantam esse declarat, ut nec mente comprehendi nec lingua exprimi possit.

Apud Xenophontem (5) Socrates disputans ait formam dei non oportere conquiri, et Plato in Legum (6) libris, quid omnino sit deus, non esse quaerendum, quia nec inveniri possit nec enarrari. (241 Wörter)

(1)	Euhemerus	griechischer Philosoph, der sich mit dem Ursprung der Götter befaßt hat
(2)	dissimulanter	hier: aus methodischer Verstellung
(3)	providentia	hier: die Umsicht, der Scharfsinn
(4)	Timaeus, -i	Gemeint ist Platons Schrift „Timaios“
(5)	Xenophon, -ontis	Xenophon; griechischer Autor, der u. a. eine Schrift über Sokrates verfaßt hat.
(6)	Leges, -um	Gemeint ist Platons Schrift „Die Gesetze“